

Samuel Schelwig

**Ad Solennem Introductionis Actum, Quo Magnifici Atque Amplissimi Senatus
Gedanensis Autoritate, Vir Clarissimus, Dominus Joh. Joachimus Reussius, ...
Die IV. Novembris MDCCVI. Hora IX. Consueto Ritu Praeficietur, Literarum Ac
Honestorum Studiorum Patronos, Fautores Et Aestimatores, Prouti Fieri
Addecet, Submisce, Observanter Ac Officiose Invitat; Studiosum Vero Coetum
Peramanter Convocat, Athenaei Rector, Samuel Schelguigius, ...**

Gedani: Stollius, [1706]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817829555>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label on the spine]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



Q. D. B. V.
AD SOLENNEM INTRODUCTIONIS ACTUM,
QUO
MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI
SENATUS GEDANENSIS
AUTORITATE,
VIR

CLARISSIMUS,
DOMINUS
JOH. JOACHIMUS
REUSSIUS,

EX MARCHIA VETERI SEEHUSIENSIS,
GRÆCÆ AC HEBRÆÆ LINGVÆ
PROFESSIONI PUBLICÆ AC ORDINARIÆ,
IN AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO,

Die IV. Novembris M DCCVI. Horâ IX.

CONSVETO RITU PRÆFICIETUR,
LITERARUM AC HONESTORUM STUDIORUM
PATRONOS, FAUTORES

ET ÆSTIMATORES,
PROUTI FIERI ADDECET,
SUBMISSE, OBSERVANTER AC OFFICIOSE
INVITAT;

STUDIOSUM VERO COETUM
PERAMANTER CONVOCAT,
ATHENÆI RECTOR,

SAMUEL SCHELGUIGIUS,
S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ITEMQUE ECCLESIAE
AD SS. TRINIT. PASTOR.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
ATHEN. TYPOGR.



Noster sermo per particulas pronuntiationi seruietes profertur, arteriam, linguam, dentes, os, adiuuante ad pronuntiationem aëris tractu & interiore spiritu. Arteria enim ab imo nobis succinit, cuiusdam tibiae instar gutturi accommodata. Palatum uero per superpositam inanitatem ad nares penetrantem, uelut lyra hemisphaerium è superiore loco uocem sono dilatat: quin etiam gena sermonem adiuuant, per quasdam articulorum formationes, dum cavantur & dilatantur, ac rursus per angustum prepellentes sonum, secundum multimodas linguae conversiones, quas facit alia atque alia sui parte, uel dentibus, uel palato spiritum per eam prateruentem quodammodo exasperans & atterens. Confert autem aliquid labiorum ministerium, differente motionis modo uariè contrectans sonum, ac uerborum formam componens. Ita Gregorius Nyssenus, in parte alterâ Orationis XII. contra Eunomium, quæ in codicibus quibusdam Oratio XIII. uocatur T. 2. p. 769. de origine sermonis pulcherrime philosophatur. Quo autem fine sermonis beneficium homini concessum sit, idem ille non multò ante ibidem his uerbis detegit: *Ut nos eorum quæ intelliguntur, aliquam comprehensionem adipisceremur, uerbis quibusdam & syllabis notionum differentias efformamus, ueluti signacula quedam & notas per sermonum efformationes, intelligentiæ motionibus inscribentes.* p. 762. Zeno, Veronensis in Seculo III. Episcopus, aut quicumque alius sub hoc nomine latet, quæ breuibus tradiderat Nyssenus, paulo fufius exponit Serm. 10. de Exodo scribens: *Sermonis usum Deus nobis indulfit pro eo, ut cordis occulta consilia inuicem uerbi ministerio panderemus, & pro communis in alterutrum affectione natura, unusquisq; nostrum proximo suo, uelut ex arcanis quibusdam domiciliis secreta depromeret. Si enim nudâ tantummodo, atque intellectu animâ uiveremus, ex ipsis tantum mentis motibus, atque intentionibus cogitationum ad alterutrum nosceremur. Verum quoniam uigor animæ uelamine carnis operitur, ad indicanda atque in publicam faciem proferenda ea, quæ in profundo cordis, cogitationibus, uel sensibus commouent, uerbis & nominibus, ac uocabulis iudigemus. Cum igitur motus hic mentis nactus fuerit uocis significantiam, tunc uelut uehiculo quodam sermonis, aëris iter euectus ad audientem à loquente transfertur.* Biblioth. Patrum max. Tom. 3. p. 365. h. Cæterum unius labii sermo, & quidem Hebræus, usque ad annum à condito mundo MMXCI. ex Calvisianâ, quam sequi placet, supputatione, apud uniuersos durauit. Tum enim, ut mortales à stolido turris Babylonicæ ad cælum usq; provehendæ conatu auocarentur, confusæ sunt linguæ: Nam uix quicquam societa-



societati magis officit, quam lingvæ non intellectæ diversitas, ut Hipponen-
 sium Præsul, L. 19. de Civit. Dei c. 7. verè dixerit: *Si duo sibi invicem
 fiant obviam, neque praterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum
 neuter norit linguam alterius: facilius sibi animalia muta, etiam diversi generis,
 quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim, quæ sentiunt, in-
 ter se communicare non possunt, propter solam linguarum diversitatem, nihil
 prodest ad consociandos homines tanta similitudo nature: ita ut libentius homo sit
 cum cane suo, quam cum homine alieno.* Hactenus Augustinus. In quot lin-
 guas primigenius sermo scissus sit, non una est Scriptorum opinio. Augu-
 stinus, Hieronymus, Prosper, Epiphanius alique LXXII. numerant, in
 hanc sententiam ea potissimum ratione adducti, quod Gen X. tot Noachi
 recensentur posteri. Cornelius à Lapide ac Pererius, Comment. in Genesin,
 numerum illum contrahunt, tametsi eidem cum prioribus principio innitan-
 tur. Nos nihil certi definire audemus: Unum verò illud certissimum duci-
 mus, per migrationes gentium & plurima, quæ inter diversos populos emer-
 serunt, bella, cum voces antehac utrinque ignotæ miscerentur, vocumque
 & veterum & recentium inflexiones subinde mutarentur, ab eo tempore
 numerum linguarum insigniter auctum esse. Sic ex Latinâ lingvâ, protenso
 Romanorum longè latèque imperio, surrexerunt Italica, Gallica, Hispanica
 & Valachica, quarum alia magis, alia minus de primâ suâ origine participat;
 omnes tamen ita comparatæ sunt, ut qui unicam ex his solam intelligit, cum
 nemine qui aliam ex cæteris solam callet, sine interprete loqui valeat. De reli-
 quis in Europâ lingvis, quæ plurium matres sunt, ut Græca, Germanica,
 Slavonica, Tartarica idem feratur iudicium. Lingvas verò Asiaticas, Africa-
 nas, Americanas & quibus forte habitatores Australis plagæ, nobis adhuc igno-
 ti, utuntur, sicco pede præterimus. Atat quando Apostoli, quibus Syriaca
 lingva, Hebrææ proles, ad unum omnibus vernacula fuisse videtur, in uni-
 versum orbem Evangelii prædicandi gratia dimittendi erant, sapientissimum
 pariter & benignissimum Numen, ut sufflamen, quod imposito divinitus ne-
 gotio, ex ignorantia linguarum apud exteras gentes, injiciebatur, tolleretur;
 immisso Spiritu S. non illud, quod ex insanientis sapientiæ consultis non
 nemo ob verba Act. II. 6. 8. in sequiorem sensum detorta, autumat, effecit,
 ut vernaculâ lingvâ utentes ubique intelligerentur; sed quod Scriptura S. Act.
 II. 4, 11, 46. XIX. 6. 1. Cor. XIV. 2. seq. expressè attestatur, ut lin-
 gvis novis atque antea sibi ignotis, mysteria Dei proloquerentur. Continua-
 batur hoc *κατασκευα*, donec *Evangelium*, teste magno gentium Doctore Paulo,
prædicatum fuit omni, quæ sub cælo est, creature Col. I. 23. Postquam verò Eccle-
 sia ubique genrium plantata, radices satis profundas jam egerat, una cum re-
 liquis extraordinariis donis, quorum Marcus XVI. 17, 18. meminit, hoc quoq;
 cessavit, adeo ut Augustinus rectissimè pronunciaverit: *Cum Ecclesia catholica
 per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora du-
 rare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine
 frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit: nec jam nobis dubium esse
 debet, iis esse credendum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, se tamen
 sequendos populis persuadere potuerunt.* L. de Vera relig. c. 23. Atque iterum:
*Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirat, magnum est ipse prodigium, qui mundo
 credente non credit.* L. 22. de Civit. Dei c. 8. Hodie igitur linguas exoticas
 adhi-

adhibito studio discere nos oportet, eas præsertim, quæ ἐπισημονικῶς vocantur, nempe Hebraicam, Græcam & Latinam, quarum utilitas, imò & necessitas tanta est, ut qui nullam ex his novit, saltem in Europa, viri docti nomen tueri nequeat, quasque ideo Clemens V, Pontifex Romanus in Concilio Viennensi, in Scholis publicis doceri ferio mandavit. Sed & Lutherus noster, præter Latinæ, quæ eruditis in occidentali Ecclesiâ omnibus communis est, etiam Græcæ Hebraicæque lingvæ culturam, ex eo, quod his lingvis Deus nobiscum in verbo suo loqui dignatus est, quibus potuit modis, præsertim in Epistolâ ad Consules & Senatores civitatum Germaniæ, de Scholis erigendis fovendisque T. 2. Altenb. p. 804. commendavit. Nulla proinde Academia, nullum Gymnasium, nulla alicujus celebritatis Schola inter Evangelicos visitur, in quâ non Græca ad minimum, in plerisque verò & Hebraica tradantur. Quod quidem in Gedanensi Athenæo, inde à plurimis retrò annis, non sine emolumento studiosæ juventutis, observatum est: cujus saluti impostero quoque prospecturus inclutæ civitatis nostræ Magnificus, Amplissimusque Senatus, ne quid detrimenti res literaria caperet, ecce novum Hebraicæ Græcæque lingvæ Professore gratiosè vocavit, meque interprete introduci jussit. De Viro loquor Clarissimo, DN. JOHANNE JOACHIMO REUSSIO, Seehufiensis Marchico, qui cum ex Nazianzeni Oratione I. probe nosset, *stolitatæ ac temeritatæ esse, si quis alios, priusquam ipse satis edoctus sit, docere aggrediatur, ac* (quod in adagio dici consuevit) *figulinam in dolio discat*: utrique Lingvæ, quibus ornandis tractandisque nunc præficitur (ut de Chaldaica Syriacæque nihil dicamus) post tyrocinia Palæofedini ac Lubecæ posita, in Academiis Rostochiensis, Regiomontanæ ac Kilonensis, ut & Hamburgi, sub celeberrimis Magistris, diu satis incubuit, imo & easdem cum fructu passim docuit. In ea nos Deus servavit tempora, quibus summa circumspèctione opus est, ne quis veneno fanatico forte infectus, docendi provinciam occupet, contagiumque publi divino Numini sacratæ affricet. Istud verò metuendum à nostro haudquaquam est, quem integritas Præceptorum, quibus in Theologiâ usus est, præsertim Magni Fectii, aliorumque, in Academiis supra memoratis, celeberrimorum Doctorum, ab omni suspitione absolvit. Inter specimina eruditionis Academica, hujus potissimum loci sunt Disputationes duæ, altera Philologico-theologica in Ef. LXIII. 1-6. altera verò de *autoritate Syriacæ versionis*. Accessit apud nos haud ita pridem *Periculum Hermeneuticum in Malachia II. 16. tentatum*; quem ingenii fœtum cordatus quisque probat, æstimat, collaudat. Cras verò idem ille in adituali oratione de *utilitate Rabbinicorum Scriptorum* dicet, præeunte Rectore & *Julianum Apostatam Christianos Scholis excludentem* proponente, Utrumque, ut Musarum Patroni, Fautores & Cultores æquis animis audiant, eâ quâ par est, devotione, reverentia & humanitate oramus, Faxit Deus, ut omnia feliciter succedant, atq; felicibus initiis Professoris novi, successus nunquam non respondeat. Largiatur Numen Civitati nostræ, & in eadem Athenæo, ut multa unico verbulo complectamur, PACEM, Jam diu enim est, quod cum Nazianzeno Orat. XIV. ingemiscere cogimur: *Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conservatum, cur nos tanto jam temporis spatio reliquisti! Quando ad nos reditura es? Equidem te absentem cum lachrymis revocamus & presentem læti complectemur.* P. P. Dom. XXII. post Trinitatis MDCCVI.



[Aged paper label on the spine, containing illegible text]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 cebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 querentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Fride-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submitit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

